

SCRIPTA

Numéro Scripta : 4937

Auteur(s) : Mantes (maire)

Bénéficiaire(s) : Pont-de-l'Arche, Notre-Dame de Bonport (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1269, octobre

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Compromis sur procès entre la commune de Mantes et les religieux de Bonport, en vertu duquel les religieux ne pourront faire passer qu'une fois par an par Mantes un navire libre du droit de péage.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Andrieux Jules, *Cartulaire de l'abbaye royale de Notre-Dame de Bon-Port de l'ordre de Cîteaux au diocèse d'Évreux*, Évreux, Hérissé, 1862, n° CCLXXII, p. 277-278.

Texte établi d'après a

Universis presentes litteras inspecturis, major et pares communitate de Medunta, salutem in Domino Ihesu Christo. Noverint universi quod cum contentio verteretur inter nos, ex una parte, et viros religiosos abbatem et conventum de Bono Portu, ex altera, super eo quod dicti religiosi dicebant se debere habere unam navem quitam, unoquoque anno, apud Meduntam, ab omni theloneo, pedagio, et omni consuetudine seculari, quocienscumque illam eandem navem per aquam Medunte transire contigerit, de dono et elemosina Guidonis Malivicini, militis, quantum pertinebat ad centum et sexaginta libras, quas habebat idem Guido in reddito apud Meduntam ; nos, dicti major et pares, pro communitate Medunte, contrarium asserebamus. Tandem vero dicte partes, habito bonorum virorum consilio, super dicta contentione compromisimus in Johannem dictum Acon, Jacobum dictum Mathye, Michaellem de Porcherenvilla, Matheum Hellouini, Guillelmum Berouc, Johannem Bonin, qui honus dicti compromissi in se suscipientes, dictum suum, partibus presentibus et consencientibus, protulerunt in hunc modum qui sequitur : videlicet, quod dicti religiosi et successores sui habeant unam navem quitam, sive magnam sive parvam, ab omni pedagio, theloneo et ab omni alia consuetudine seculari, semel in anno, quantum pertinet ad dictas centum et sexaginta libras, descendendo per aquam Medunte, honeratam qualiumcunque mercium suarum et rerum suarum, sive ad usum suum, sive eciam ad vendendum ; et similiter unam navem quitam ascendendo, semel in anno, per aquam Medunte in modum superius nominatum. Si vero dictos religiosos navem honeratam mercium suarum et rerum suarum per aquam Medunte descendendo seu eciam ascendendo plus quam semel in anno contigerit transire, nobis majori et paribus, pedagium et consuetudinem dicti religiosi solverent seculari. Quod dictum seu eciam arbitrium, nos dicti majores et pares, volumus, laudamus et eciam approbamus. Et quod hoc firmum et stabile permaneat, sigillo communitate de Medunta abbati et conventui de Bono Portu presentes litteras tradimus sigillatas. Anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo nono, mense octobris.